

fert, uterque reus est: Ille, quia prodesse non vult: iste quia nocere desiderat. *Anselm. in epi. ad Cor.*

17. Nec artificioso ingenio, nec simplici verbo oportet decipere quenquam: quia quolibet modo mentiatur quis, offendit. *Isid. de conflictu vitiorum et virtutum.*

18. Quidam in suis mendaciis gratiosi sunt: quidam semper laborant esse veridici, et mendacissimi reputantur. *Pet. Bles.*

19. Mendacium, est falsa verborum prolatio cum intentione fallendi. *Tullius.*

Vide etiam in tit. Adulatio, núm. 48. in tit. Confessio, núm. 4. in tit. Jejunium, núm. 32. in tit. Veritas, núm. 8, 11. in tit. Vitium, núm. 6.

### MERCATIO.

1. Desiderio tuo locum facis diabolo. Ecce enim diabolus proposuit lucrum et mutavit ad fraudem, lucrum habere non poteris, nisi fraudem feceris: sed lucrum esca est, fraus laqueus: sic attende escam, ut videas et laqueum: quia lucrum habere non poteris, nisi fraudem feceris, fraudem autem si feceris capieris. *Aug. super Psalm.*

2. Regula justitiæ manifesta est: quod á vero non declinare virum deceat bonum, nec damno justo afficere quenquam, nec aliquid dolo annectere rei suæ. *Ambr. lib. de Offic.*

3. In contractibus vitia eorum, quæ vaneunt, prodi jubentur: al nisi intimaverit venditor, quamvis in jus operis transierint, doli actione tenentur. *Amb. 3. de Offic.*

4. Vilem se vult æstimari Christus, ut ab omnibus ematur, ne quis pauper deterreatur. *Amb. super Lucam lib. 6.*

5. Super omnes mercatores, plus maledictus est, scilicet usurarius: quia mercator dat ut non jam repetat: iste autem postquam sceneravit, et suum iterum repetit, et alienum cum suo tollit. *Chrys. sup. Matth. 21. Ejiciebat de templo omnes ementes, etc.*

6. Quicumque comparat, inquit, rem, ut illam integram et immutatam dando lucretur, ille est mercator, qui de templo Dei ejicitur. *Ibidem.*

7. Propemodam donare videtur, qui vendit rogatus: ad saturatos cum mercibus ire, certamen est: suo autem arbitrio pretium poscit, qui victualia potest ferre jejunos. *Cass. in ep. lib. 2.*

8. Aurum vel divitias siquidem per bella quærere, nefas est: per maria, periculum: per falsitates, opprobrium: per agriculturam vero licitum est: honestum vero est lucrum, per quod nemo læditur, juste acquiritur, et nulli præjudicatur. *Cass. in epistol.*

9. Sordidum est eorum officium, qui emunt á mercatoribus, quod statim vendant: nihil enim proficiunt, nisi quodammodo mentiantur. Agricultura enim nihil melius, nihil uberius, nihil homine libero dignius. Hanc laudat Horatius: Beatus ille, qui procul negotiis. Ut prisca gens mortalium, paterna rura bobus exercet suis: Solutus omni tænore. *Tullius.*

Vide etiam in tit. Clericus, núm. 3. in tit. Prædicatione, núm. 2, 7.

### MERITUM.

1. Quisquis tibi enumerat vera merita sua, quid tibi enumerat nisi munera tua? *Aug. lib. confess.*

2. Deus auctor est meriti, qui et voluntatem applicat operi, et opus explicat voluntati. *Aug. de lib. arbitr.*

3. Simples et indocti regnum cælorum rapiunt, et nos cum literis nostris ad infernum descendimus. *Aug. Matth. 11.*

4. Magna sunt activæ vitæ merita, sed contemplativæ poliora. *Greg. in moral.*

5. Non est magni meriti, si quid foris erga nos agatur in corpore, sed magis pensandum est, quid agatur in mente: nam præsentem mundum despiciere, transitoria amare, non mentem medullitus in humilitate Deo et proximis sternere, contra illatas contumelias patientiam servare, et custodita patientia dolorem malitiæ á

corde repellere, egenis propria tribuere, aliena minime ambire, amicum in Deo diligere, propter Deum et eos, qui sunt inimici, amare, de afflictione proximi lugere, de morte inimici non exaltare, hic est nova creatura. *Greg. in hom. 10.*

6. Hoc totum hominis meritum, si totam spem suam ponat in eo, qui totum salvum fecit: sufficit ad meritum scire quod non sufficiant merita. *Bern. serm. 58.*

7. Præposterus ordo est, ante meritum exigere præmium, et ante laborem sumere cibum. *Bern. super Cant.*

8. Domine, multi volunt tecum conregnare: sed non compati: volunt invenire, et non quærere: volunt consequi, et non sequi. *Bern. in serm.*

9. Etsi millies moriamur, etsi omnes virtutes animæ expleamus, nihil dignum gerimus ad ea, quæ ipsi à Deo percepimus. *Chrysost. de compunct. cor.*

10. Videmus aliquoties nonnullos cœpisse postremos, et factos merito priores. *Chrys. de reparat. lapsi.*

11. Quidquid gesseris, parum est: quidquid feceris, minus. Omne enim meritum breve est comparatione donorum: numerata beneficia, si potes, et tunc considera quid mereris. *Chrys. hom. 70.*

12. Si totum tempus vitæ hujus occupant obsequia, laudes teneant, gratiarum actiones insistant, non poteris pensare, quod debes. *Ibidem.*

13. Sit licet excellens hominum meritum, sit naturæ jura conservans, sit legum jussis obtemperans, fidem impleat, justitiam teneat, virtutes exerceat, damnet vitia, peccata repellat, exemplum semel imitantibus præbeat, nihil est respectu ejusdem. *Ibidem.*

14. Cum divinis muneribus actus proprios meditare: nec dignum te judicabis, eo quod fueris, si intelliges, quod mereris. *Ibidem.*

15. Grandis violentia est in terra nasci, et cælum rapere, et habere per virtutem, quod non possumus habere per naturam. *Regnum cælorum vim patitur: quia gloria Domini Israel patribus debita, à prophetis nunciata, à Christo oblata, fide Gentium occupatur et*

rapitur, dum per penitentiam, quam Joannes prædicavit, reviviscunt ad cælestem patriam, quasi in alienum locum redeunt. *Chrysost. Matth. 11.*

16. Securus celsa conscendit, qui se in paulò minoribus approbavit, et certo præcedit vestigio, qui gradatim politur accepto. Sine merito siquidem remuneratum putatur omne, quod subitum est: nec in exploratis suspicionem refugit, quod repente provenerit. Econtra omnia deliberata sunt robusta, et totum bonis actibus obtinuisse creditur, qui post documenta laudatæ militiæ promovetur. *Cass. lib. 1.*

17. Sumpsisti nomen ex meritis, custodi ut semper lateris veritate vocabuli: nam cum omnis appellatio ad delineandas res videatur imposita, nimis absurdum est, nomen alienum portare, et aliud dici, quam possit in moribus inveniri. Verum hæc bonæ conscientiæ dicta sufficiant, quia dubitari de illo creditur, qui à plurimis admonetur. *Ibidem.*

18. Qui enim est ordine vel dignitate primus, debet esse meritorum laude præcipuus. *Idem lib. 2.*

19. Indiscreti hominis mores confusique vagarentur, si aut culpa formidinem, aut virtus præmium non haberet. *Ibidem.*

20. Junioribus conceditur spes laboris, dum vicissitudo fuerit reddita veteranis. *Idem lib. 4.*

21. Differri non debent merita fidelium, ut ad studia honorum actuum provocentur vota cunctorum. Demus igitur, quæ sunt justa, laboribus, ut propectu priorum invitemus corda sequentium. *Ibidem.*

22. Sicut enim æquum est desidiosis, laborantium præmia denegare: ita convenit exultantibus, id est, operantibus, remunerationis optata concedere. *Ibidem.*

23. Dignum est, ut fructus laborum sequantur vota fidelium, et superior gradus accipiat, quem gestarum rerum integritas affecta commendat. *Ibidem.*

24. Bene moderatrix omnium rerum antiquitas consideravit, ut laboris sui prælia recipiant, qui publicis utilitatibus obsecundant: ne quis haberetur præteritus, qui probabili fuerat actione laudandus. *Ibidem.*

25. Hoc est profecto difficillimum regnandi genus, exercere juvenem in suis sensibus principatum. Rarum omnino bonum est, Dominum triumphare de moribus, et hoc consequi in florida aetate, ad quod vix creditur cana modestia pervenire. *Cassiod.*

26. Parum laudis habet virtutum corona, quæ ex labore non descendit: potest quidem habere palmam, sed non habet gloriam. Hæc est magnarum ratio virtutum: ut quanto plus homo laborat: tanto plus mercedis acquirat. *Valer. in serm.*

Vide etiam in tit. Anima, núm. 19. in tit. Charitas, núm. 4. in tit. Consolatio, núm. 4. in tit. Gloria vana, núm. 15. in tit. Gloria aeterna, núm. 11, 20, 39. in tit. Gratitude, núm. 12, 13. in tit. Justitia, 25. in tit. Otiositas, núm. 10. in tit. Pœnitentia, núm. 46. in tit. Remuneratio, núm. 7. in tit. Sanctitas, núm. 17. in tit. Tentatio, núm. 2. in tit. Tribulatio, núm. 1, 10.

### MILITIA.

1. Militare non est delictum, sed propter prædam militare peccatum est. Nec rempublicam gerere criminis est: sed ideo agere rempublicam, ut rem familiarem potius augeas, videtur esse damnabile: propterea enim providentia quadam militantibus sunt stipendia constituta, ne dum sumptus quæritur, predo grassetur. *Aug. de verb. Dom.*

2. De cubiculo ad aciem, de umbra egrediens ad solem: corpus assuetum tunicæ, lorica onus non sustinet: caput opertum linteo, galeam recusat: mollem otio manum, durus exasperat capulus: fortior autem miles ex confragoso venit. *Hier. in ep. ad Theo. mon.*

3. Rei militaris virtus præstat cæteris virtutibus: omnia nostra studia, et hæc forensis laus latet in tutela ac præsidio bellicæ virtutis: et simul ac increpuit tumultus, artes illico nostræ conticescunt. *Cicer. pro Mur.*

4. Juventus enim cui defensio provinciarum, cui bellorum est committenda fortuna, et genere, si co-

pia suppetat, et moribus debet excellere. Honestas enim idoneum militem reddit: verecundia, dum prohibet fugere, facit esse victorem. *Veg. de re. mil. l. 2.*

5. Fabros ferrarios, carpentarios, macellarios, et cervorum aprorumque venatores convenit sociare militiæ. *Ibidem.*

6. Nihil enim magis in itinere, vel in acie custodiendum est, quam ut omnes milites incedendi ordinem servent: quod aliter non potest fieri, nisi ut exercitio deambulare celeriter et æqualiter discant. Periculum enim ab hostibus semper gravissimum sustinet divisus et inordinatus exercitus. *Ibidem.*

7. Nihil enim neque firmius, neque felicius, neque laudabilius est republica, in qua abundant milites eruditi. *Ibidem.*

8. Plurimum enim terroris hostibus armorum splendor importat. Quis credat militem bellicosum, cujus dissimulatione, situ ac rubigine arma sædantur. *Veg. lib. 2.*

9. Ab is, qui tyrones probant, in omnibus quidem staturæ magnitudinem, corporis robor, alacritatem animi convenit explorari. *Ibidem.*

10. Nunquam enim ad contumaciam pari consensu multitudo prorumpit, sed incitantur pauci vitiorum scelerumque impunitate: sperant peccare cum pluribus. Quod si ferri medicinam necessitas extrema persuaserit, rectius est more majorum, in auctores criminum vindicari: ut ad omnes metus, ad paucos pœna perveniat: laudabiliores tamen duces sunt, quorum exercitum admodestiam, labor et usus instituit, quam illi, quorum milites ad obedientiam suppliciorum formido compellit. *Idem. lib. 8.*

11. Plerique rei militaris ignari, pleniorum victoriam credunt, si adversarios aut locorum angustiis, aut armatorum multitudine circumdederint, ut aditum non inveniant abscedendi: sed clausis ex desperatione crescit audacia, et quum spei nihil est, sumit arma formido. Libenter cupit commori, qui sine dubio scit

esse moriturum: ideoque Scipionis laudata sententia est, qui dixit, viam hostibus, qua fugerent, invenientem. Nam cum abscedendi aditu patefacto, mentes omnium ad præbenda terga consenserint, multi more pecudum trucidantur: nec insequentium ullum periculum est, quum victi (quibus defendi poterant) arma converterint in fugam: hoc genere quanto major fuerit exercitus, tanto facilius multitudo prosternitur. *Ibidem.*

12. Neque enim ibi requirendus est numerus, ubi animus semel territus, non tam tela hostium cupit declinare, quam vultum: cæterum clausi licet exiguo numero, et infirmi viribus, hoc ipso tamen sunt hostibus pares: quia desperantes sciunt aliud sibi licere non posse. Nam una salus victis nullam sperare salutem. *Ibidem.*

13. Nulla consilia meliora sunt, quam illa, quæ ignoravit adversarius, antequam facias. Quum igitur consilium tuum cognoveris adversariis proditum, dispositionem mutare te convenit: quid fieri debeat, tractato cum multis. Quid vero facturus sis, cum paucissimis, ac fidelissimis, vel potius ipse tecum. *Ibidem.*

14. Nihil damnabilius est in milite, quam otium, per quod usus armorum dediscitur, nutritur pusillanimitas, vires fatiscent, obrepit inertia, et ad immun-ditiæ actus animus occupatur. *Pet. Bles. ep. 94.*

15. Vegelii Renati testimonio inutilis est omnino militia, nutritus tenerè, et delitiis assuetus: eum autem censet aptiorem, qui sub dio et ad arma nutritur in labore, solis patiens, umbræ negligens, balnearum nescius, æque ferens, frigoris injurias et caloris, rudis in causis, simplex in actibus, cibo moderatiore contentus, qui non erubescat fossam ducere, reparare aggeres, ferre lapides et cæmentum, lignorumque materiam comportare. *Ibidem.*

16. Clypeos deferunt deauratos, prædam potius hostium cupientes, quam certamen ab hostibus: bella lamen et conflictus equestres depingi faciunt in sellis et clypeis, ut se quadam imaginaria visione delectent in pugnis, quas actualiter ingredi, aut videre non audent. *Ibidem.*

17. In his Frontinus refert, cum scutum cujusdam vidisset auro et gemmis multipliciter adornatum, dixit se non mirari, si tanta clypeum diligentia ornasset, in quo plus præsidii, quam in ense haberet. *Ibidem.*

18. Refert Pericles: non picturam, non aurum et lapides, sed scutum divulgum: fractam galeam, hebetem gladium, faciem vulneratam cedere militibus ad ornatum. *Ibidem.*

19. Hi sunt, quorum testimonio laudari audis, in otio occupationes, in pace prædas, inter arma fugas, inter vina victorias, cum sint in prætorii leones, in præliis lepores. *Ibidem.*

20. Porro ordo militum nunc est, ordinem non tenere: nam ejus os majore verborum spurcitia poluitur, qui detestabilis jurat, qui minus Deum timet, ministros Dei vilificat: qui ecclesiam non veretur: iste hodie in cætu militum fortior et nominatior reputatur. *Idem epist. 19.*

21. Hodie militaris disciplina, quam Vegetius Renatus et plerique alii docuerunt, prorsus evanuit, et se in quandam delinquendi libertatem, et scurrilitatis speciem deformavit. Olim enim se juramenti vinculo milites obligabant, quod starent pro reipublicæ statu, quod in acie non fugerent, et quod vitæ propriæ utilitatem publicam præhaberent: sed et hodie tyrones enses suos recipiunt de altari, ut profiteantur se filios ecclesiæ: atque honorem sacerdotii, ad tuitionem pauperum, ad vindictam malefactorum, et patriæ liberationem se gladium accepisse: porro in contrarium versa est: nam ex quo hodie militari cingulo decorantur, statim insurgunt in Christos Domini, et deserviunt in patrimonium crucifixi: spoliant et prædantur subjectos Christi pauperes, et miserabiliter atque immiserabiliter affligunt miseros: ut in doloribus alienis illicitos appetitus, et extraordinarias impleant voluntates. *Ibidem.*

22. Qui contra inimicos crucis vires suas exerce-re debuerant, in potibus et ebrietatibus pugnant. Vacant otio, marcent crapula, vitamque degenerem in im-

munditiis transigentes, nomen et officium militiae de-  
honestant. *Ibidem.*

23. Nullum laborem recusant manus, quæ ab ara-  
tro ad arma transferuntur: quamlibet enim viam pa-  
tiantur iumenta, quorum durata in aspero ungula est:  
in molli et palustri pascuo saginata cito subleruntur:  
fortior autem miles ex confragoso venit, sed ille un-  
ctus et nitidus in primo pulvere deficit. *Senec. in qua-  
dam ejist.*

24. \* Aspero et abscisso castigationis genere milita-  
ris disciplina indiget, quia vires armis constant, quæ  
ubi à recto itinere disciverunt, oppresura sunt, nisi  
opprimantur. *Val. Max. lib. 2.*

25. Ducis in consilio, posita est virtus militum.  
*Val. lib. 4.*

26. Non fuit romanis rubor, eburneo scipione de-  
posito, agrestem aratri stivam repetere: sed Attilii ma-  
nus rustico opere attrita, salutem publicam stabilierunt,  
ingentes hostium copias pessunderunt: et quæ prius  
arantium boum juga rexerant: postea triumphalis cur-  
rus habenas relinuerunt: potest pauperes consolari At-  
tilius, sed multo magis docere locupletes, quod non  
est necessaria magnæ laudis cupido, aut anxia opum  
comparatio. Virtus enim nudo homine contenta est.  
*Ibidem.*

Vide etiam in tit. Christianus núm. 6. in tit. Resur-  
rectio, núm. 24.

#### MIRABILE SIVE MIRACULUM.

1. Quidquid igitur mirabile fit in hoc mundo, pro-  
festo minus est, quam totus hic mundus: id est, cœ-  
lum, et terra, et omnia quæ in eis sunt, quæ certè  
Deus fecit: nam et omni miraculo, quod fit per ho-  
minem, majus miraculum est homo. Quamvis igitur  
miracula visibilium naturarum videndi assiduitate vi-  
lescunt, tamen ea, quum sapienter intuemur, inusita-  
tissimis rarisque majora sunt. *August. lib. 10. de  
civ. Dei.*

2. Miracula leguntur in populis, ut credantur, nec  
in populis tamen nisi credita legerentur. Hæc autem  
ubicumque fiunt, vix à tota civitate ipsa sciuntur, vel  
à quocumque commanentium in loco. Nam plerum-  
que fiunt ignorantibus cæteris, maxime, si magna sit  
civitas: et quando alibi, aliisque narrantur: tanta ea  
commendat auctoritas, ut sine difficultate vel dubita-  
tione credantur, quamvis christianis fidelibus indicere-  
tur. *Aug. lib. 22. de civ. Dei.*

3. Aliter magi faciunt miracula, aliter boni chris-  
tiani, aliter mali. Magi per privatos contractus cum  
dæmonibus: boni christiani per publicam justitiam: ma-  
li christiani per signa publicæ justitiæ. *August. lib.  
85. quest.*

4. Ideo non omnibus sanctis ista miracula attri-  
buuntur, ne perniciosissimo errore decipiantur infir-  
mi, astimantes in talibus factis esse majora bona, quam  
in operibus justitiæ, quibus vita æterna comparatur.  
*Ibidem.*

5. Dicamus aliquid Deum posse, quod nos fatea-  
mur investigare non posse. In rebus enim mirabili-  
bus tota ratio faciendi, est potentia facientis. *August.*

6. Nihil mirabilius in rebus humanis, quam dili-  
gere inimicos. *Aug. lib. de confess.*

7. Eant omnes admirari alta montium, et ingen-  
tes fluctus maris, et latissimos lapsus fluminum, et  
Oceanii ambitum, et gyros syderum, et relinquunt seip-  
sos, et non mirantur. Nam et omni miraculo quod fit  
per hominem, majus miraculum est homo. *Ibidem.*

8. Sicut non fuit Deo impossibile, quas voluit na-  
turas insituere: sic ei non est impossibile, in quid-  
quid voluerit, quas instituit naturas, mutare. *August.  
lib. 24. de civ. Dei.*

9. Operum Dei causa si lateat hominem, non se obli-  
viscat esse hominem, ne propterea Deo det insi-  
pientiam, quia non bene capit ejus sapientiam. *Aug.  
de spirit. et lit.*

10. Prophelizare, et virtutes facere, et dæmonia  
ejicere, interdum non est meriti, qui operator: sed

vel invocatio Christi hoc agit, vel ob condemnationem eorum qui invocant, vel utilitatem eorum, qui vident, et audiunt. *Hier. super ill. Matth. 7. Nonne in nomin.*

11. Charitatis et pietatis miracula amate, quæ tanto securiora sunt, quanto et occultiora, et de quibus apud Deum eo major fit retributio, quo apud homines minor est gloria. *Greg. in ho.*

12. Divina mirabilia semper debent considerari per studium, et nunquam discuti per intellectum. *Ibidem.*

13. Rationem de occulto Dei consilio quærere, nihil aliud est, quam contra ejus consilium superbire. *Ibidem.*

14. Quatuor mirabiles imitatores fecit Deus: de piscatore primum Ecclesiæ pastorem: de persecutore magistrum gentium et doctorem: de publicano primum Evangelistam: de latrone primum cœlicolam. *Chrys. super pr. Matth.*

15. Tria totus mundus mirabatur, Christum post mortem resurrexisse, cum carne in cœlum ascendisse, et per duodecim Apostolos pisces totum mundum convertisse: hujus autem quadruplex fuit causa, scilicet pecuniæ contemptus, gloriæ despectus, secularium occupationum segregatio, et terribilium permissio. *Ibidem.*

16. Mirabilis est videre hominem convitia passum, et non motum, quam hominem vulneratum, et percussum non cadentem. *Chrys. super Matth.*

17. Miracula in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus: quia signum fidelibus non est necessarium, qui jam crediderunt, sed infidelibus, ut convertantur. Nam Paulus, pro non credentium infidelitate, patrem Publii de infirmitate febrium, virtutibus curat: infirmantem vero Timotheum fidelem, non oratione, sed medicinaliter temperare, ut noveris miracula pro incredulis, non pro fidelibus fieri. *Isid. lib 1. de sum. bon.*

18. Res multis modis apparent mirabiles: aliquando ex magnitudine, aliquando ex parvitate: aliquando quia raræ, aliquando quia pulchræ: secundum magnitudinem attenditur, quando res quælibet sui generis modum in quantitate excedit: sic miramur gigantes inter homines, cetum inter pisces, gryphonem in-

ter volucres, elephantem inter quadrupedes, draconem inter serpentes. Secundum parvitatem considerantur quando res quælibet cæteris sui generis quantitate æquari non potest, ut linea et vermes, et cynifes, et alia similia, quæ inter cætera quidem animalia vivunt, sed cæteris omnibus corporis exiguitate dispares sunt. Vide ergo quid magis mireris, dentes apri vel lineæ, alas gryphi vel cynifis, caput equi vel locustæ, crura elephantis vel culicis, leonem vel pulicem, tigridem vel lestudinem? Ibi miraris magnitudinem, hinc miraris parvitatem: illis dedit oculos quos vix comprehendere potest oculus, et in exiguis corporibus, sic omnia adjuncta naturæ suæ congrua plenissime distribuit, ut nihil videas deesse in minimis eorum omnium, quæ natura formavit in magnis. *Hugo de operat. trium dier.*

19. Miramur, quare etiam crocodilus manducans, inferiorem molam non movet, et quomodo Salamandra in igne illæsa permanet: quis dedit Ericio spinas, et docuit eum, ut se pomis turbine discussis involvat, quibus onustus incedens stridet quasi plaustrum? et formica hyemis superventuræ præscia, granis horrea sua replet: aranea quoque de visceribus suis laqueos necit, ut prædam capiat. Isti sunt testes sapientiæ Dei. *Ibidem.*

20. Est adhuc aliud verum et evidens divinæ sapientiæ argumentum, quod omne genus, simile sibi procreat, et una species propagata, primæ originis formam non immutat: non ovis vitulum, non vaca agnum, non cerva leporem, non leo vulpem, sed in sibi simile propaginem suam extendit. Aliud genus est fagus, aliud quercus, et aliud unumquodque suam speciem habet, et unumquodque sui generis servat similitudinem. Vide folium quomodo intrinsecus productis costulis huc et illuc intexitur, mirare unum, mirare illud: omne quod est unius generis, unius invenies similitudinis: tot costulas in uno, quot costulas in alio: talem formam in uno, qualem in alio, omnis enim natura quasi cujusdam intrinsecus dictantis præceptum accepit: nusquam terminos suos excedere præsumit. *Ibidem.*

21. \* Qui rei cujuslibet investigare probabilem rationem satagit, is rerum miracula ubique tollit funditus et evertit. *Plutarch. Problem.*

22. In facie vultuque nostro nullas duas in tot millibus hominum indiscretas effigies existere, quod ars nulla in paucis numero praestet affectando. *Plin. lib. 10. hist. Na.*

Vide etiam in tit. Anima, núm. 37. in tit. Antichristus, núm. 14, 16. in tit. Castitas, núm. 22, 23. in tit. Confessio, núm. 13. in tit. Consideratio, núm. 2. in tit. Eucharistia, núm. 8, 9. in tit. Incarnatio, núm. 6, 12. in tit. Resurrectio, núm. 16. et in tit. Sortilegium per totum.

### MISERIA.

1. Miséria, est copia tribulationis: et inopia consolationis, quando multifarie quis patitur, et á nemine relevatur. *August. de diffin.*

2. Qui nequiter vult vivere, nonne tanto miserior esse convincitur, quanto facilius mala ejus voluntas impletur? *Aug. lib. de virgin.*

3. Quid miserius misero non miserante seipsum, et flente Didonis mortem, quæ flebat amando Æneam, non flente ante mortem suam, quæ flebat non amando te? *Aug. lib. 1. confess.*

4. Magna hominis miséria, cum illo non esse, sine quo non potest esse. In quo enim est, proculdubio sine illo non est: et tamen si ejus non meminit, eumque non intelligit, neque diligit, cum illo non est. *Aug. de Trinit.*

5. Considera quantum potes, quam magnum bonum sit ipsum esse, quod et beati et miseri volunt: nam si hoc bene consideraverit, videbis in tantum esse te miserum, in quantum non appropinquas ei, quod summum est. *Aug. de lib. arbitr.*

6. Apud christianos non qui patitur, sed qui facit contumeliam, miser est. *Hier. in ep.*

7. Peccantes quosque tunc consideremus amplius

miseros, quando eos conspiciamus in culpa sua, sine flagello derelictos. *Greg. super Ezech.*

8. Ille bene novit in exterioribus miseriis subsistere, qui scit de spe interna semper gaudere. *Ibidem.*

9. Generalis est humano generi miséria triplex, si diligenter advertimus: nam et faciles sumus ad seducendum, et debiles ad operandum, et fragiles ad resistendum. Si discernere volumus inter bonum et malum, decipimur; si tentamus facere bonum, deficimus, si conamur resistere malo, dejicimur et superamur. *Bern. serm. 8.*

10. Sicut pura veritas, non nisi puro corde videtur: sic miséria fratris, non nisi misero corde servatur. *Bern. de 12. grad. hu.*

11. Homo natus de muliere brevi vivens tempore, etc. In sordibus generamur, in tenebris confovemur, in doloribus parturimur, ante exitum miseras oneramus matres, in exilu more vipereo laceramus, mirum, quod ipsi non laceramur: primam vocem ploratus edimus, merito quidem, utpote vallem plorationis ingressi, ut nobis illud sancti Job ex omni parte possit apparere. Multis repletur miseriis? multis et multiplicibus inquam miseriis corporis, miseriis cordis, miseriis dum dormit, miseriis dum vigilat, miseriis quocumque se vertit. *Bern. in serm.*

12. Consideranti tibi quid sis: occurret tibi homo nudus, et pauper, et miser, et miserabilis, homo dolens, quod homo sit: erubescens, quod nudus sit: plorans, quod natus sit: murmurans, quod sit homo natus ad laborem, non ad amorem: homo natus de muliere, et hoc cum reatu brevi vivens tempore, ideo cum metu repletur multis miseriis, et propterea cum fletu vere multis, quia corporis et animæ simul. *Ibid.*

13. Quare de vulva egressus sum ut viderem laborem et dolorem: consumerentur in confusione dies mei? Si talia locutus est de se, ille quem DEUS sanctificavit in utero: qualia loquar de me, quem mater mea genuit in peccato? Heu me dixerim: mater, quid me genuisti filium amaritudinis et doloris? quare non

in vulva mortuus sum? egressus ex utero non statim perii? cui exepus genibus, lactatus uberibus, natus in combustionem et in cibum ignis? ulinam interfec- tus fuisset in utero, ut fuisset meum sepulchrum, et vulva ejus conceptus æternus: *fuissem enim, quasi non essem de utero translatus ad tumulum. Innoc. de vil. cond. hum.*

14. Quis ergo del oculis meis fontem lachryma- rum, ut fleam miserabilem humanæ conditionis ingres- sum; culpabilem humanæ conversationis progressum; damnabilem humanæ dissolutionis egressum. Consideraverim igitur cum lachrymis de quo factus est ho- mo quid faciat homo, quid facturus sit homo. Sane formatus est homo de terra, conceptus in culpa, na- tus ad pœnam, agit prava, quæ non licent, turpia, quæ non decent: vana, quæ non expediunt. *Ibidem.*

15. Formatus est homo de pulvere, de luto, de cinere: quodque vilius est, de spurcissimo spermate, conceptus in pruritu carnis, in fervore libidinis, in fœtore luxuriæ, quodque deterius est, in labe pecca- ti natus ad laborem, timorem, dolorem: quodque mi- serius est, ad mortem. Agit prava, quibus offendit Deum, offendit proximum, offendit seipsum. Agit tur- pia, quibus polluit famam, polluit personam, polluit conscientiam. Agit vana, quibus negligit seria, negligit utilia, negligit necessaria. Fit cibus ignis, qui semper ardet et urit inextinguibilis esca vermis, qui semper rodit et comedit immortalis: massa putredinis, quæ semper fœ- tet, et sordet horribilis. *Ibidem.*

16. Sapiens miser, plus miser est, quam rusticus miser: scilicet enim exaggerare causas dolendi, quas rus- ticus miser ignorat. *Sup. prin. Boet. de consol.*

17. Miserum te reputo, quia nunquam fuisti mi- ser, transivisti vitam, et non invenisti adversarium: nimis miser fuisti: miseros reputo, quia nimia felici- tate torpescunt. *Senec. in quad. epist.*

18. Calamitosus est animus futuri anxius, et ante miseriam miser, qui sollicitus est, ut ea, quibus de- lectatur ad extremum usque permaneat: nullo enim

tempore conquiescet, et expectatione futuri, præsentia, quibus frui poterat, amittet. *Ibidem.*

19. Miserior es, quum in omnem fraudem oculis raperis, quam si omnino oculos non habueris. *Senec. de rem. fort.*

Vide etiam in tit. Compassio, núm. 1, 6. in tit. Homo, núm. 8, 13, 19, 20, 21. in tit. Honor, núm. 1. in tit. Timor, núm. 28. in tit. Voluntas, núm. 1.

### MISERICORDIA.

1. Misericordia, est animi condolentis affectus cum additamento beneficii, ut compatiatur proximo, et largiamur de proprio. *Aug. de offic.*

2. Nihil ad misericordiam sic inclinat atque prop- tii periculi cogitatio. *Aug. ad Galat.*

3. Non est quo fugias á Deo irato, nisi ad Deum placatum. *Aug. super psalm. 74.*

4. Beati illi, qui subveniunt miseris: quoniam eis rependitur, ut per misericordem Dominum de mise- ria liberentur: nam idipsum videtur justum, ut qui á potentiore adjuvari vult, adjuvet inferiorem, in quo est ipse potentior. *Aug. de serm. Domin.*

5. Melius est, ut nullus sit miser, quam ut tu fa- cias misericordiam. Qui enim ut faciat misericordiam, optat esse miseros, crudelem habet misericordiam: quo- modo si medicus, ut exerceat artem suam, optat esse multos ægrotos, crudelis est medicina. *August. super psalm.*

6. Misericordia, est alienæ miseriæ in nostro cor- de compassio, qua utique si possemus, subvenire compellimur. *Aug. 9. de civ. Dei.*

7. Longe melius et humanius et piorum sensibus accomodatius, in Cæsaris laude locutus est Cicero, ubi ait: nulla de virtutibus tuis, nec admirabilior, nec gra- tior misericordia est. *Aug. ibid.*

8. Multo misericordius operator quis circa animas infirmorum, qui bonæ famæ servorum Dei consulit: quam erga corporum ægrotantium, qui panem esu- rientibus tribuit. *Aug. de opere monacho.*



9. Nec omisso iudicio, sis etiam pauperi in mala causa misericors, cui si parcis, cullello percussis cor, et tanto nequiores reddis, quanto iustum sibi favore videt. *Aug. lib. 1. apolog.*

10. Plurimum interest, quo animo quisque parcat: sicut enim aliquando est misericordia puniens, ita et crudelitas parcens. *Aug. ep. 64.*

11. Omnis summa disciplinæ christianæ in misericordia et pietate est, quam aliquis sequens si lubricum carnis patitur, sine dubio vapulabil. *Ambros. ad Tim. 4. Pietas ad.*

12. Misericordia largior, ubi fides promptior. Nichil tam commendat christianum, quam miseratio charitatis. *Ambros. de officiis.*

13. Vasa sacrorum vendere opus est, ut quis fide sincera et perspicaci prudentia misericordiæ munus impleat: sane si aliquis in sua declinat emolumenta, crimen est: si vero pauperibus erogal, captivum redimit, misericordia est. *Ibidem.*

14. Non memini me legisse mala morte mortuum, qui libenter opera charitatis exercuit. Habet enim multos intercessores, et impossibile est multorum preces non exaudiri. *Hier. in epist. ad Nepot.*

15. Natura hominum prona est ad clementiam, et in alieno peccato sui quisque miseretur. *Hier. in ep.*

16. Misericordia, affectio est, quæ nec voluntate coercetur, nec rationi subijcitur: sed ipsas piæ mentes ad compassionem dolentium necessario cogit affectu: ita etiam, ut si peccatum esset misereri, et si multum vellem, non possem non misereri. Est timor plus humilis fructuosus, qui cuilibet quantumlibet peccatori facile misericordiam promeretur: talis timor general, nutrit et servat humilitatem, mansuetudinem, patientiam et longanimitatem. *Ibidem.*

17. Misericordia à misero corde vocata est, eo quod unusquisque intuetur quempiam miserum, et ei compatiens de dolore animus tangitur: ipse cor miserum facit, ut eum à miseria liberet, cui intendit. *Greg. in mor.*

18. Respicere inopem, exaudire peccantem, ligare

stipitem, præbere defensionem, atque pro ejusdem defensione pauperis adversantis cujuslibet inimicitias timere, magna mentis latitudo est. *Greg. in hom. 5.*

19. Sunt quidam misericordes de iis, quæ ad ipsos non pertinent: qui scandalizantur, quod non datur omnibus abundanter: sic tamen, ut ipsi ne in modico quidem graventur: qui si misericordes essent, de suo facere deberent misericordiam: si non possent de terrena substantia, de voluntate bona darent eis, qui contra eos fortasse peccare videntur: darent dulce signum, verbum bonum, quod est super datum optimum, ut eorum mentes ad pœnitentiam revocarent. Denique his omnibus quos in peccato esse cognoscerent, compassionem impenderent et orationem, alioquin misericordia illorum nulla est, et misericordiam consequentur nullam. *Bern. ser. 4.*

20. Septem in me video misericordias Domini, quas et vosipsi facile inveneritis in vobis: prima est quod à multis peccatis adhuc in sæculo positum custodivit. Prima quidem non inter omnes, quas mihi impedit, sed prima inter has septem. Quis enim non videat, quod sicut in multa cecidi sic et in alia poteram cecidisse peccata, nisi omnipotentis pietas conservasset? Fateor et fatebor, nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus cecidisset in omne peccatum anima mea. Secunda miseratio, quæ non poterit explicari sermone, quam benigna, quam libera, quam gratuita: ego peccabam, et tu dissimulabas: non continebam à sceleribus, et tu abstinebas à verberibus: prolongabam ego multo tempore iniquitatem, et tu Domine pietatem tuam. Tertia, quod visitavit cor meum, et invitavit, ut amara fierent, quæ male dulcia prius erant. Quarta, quod pœnitentem misericorditer suscepisti, ut in eorum numero invenirer, de quibus *Psal. Beati quorum remissa sunt iniquitates, etc.* Quinta, per quam mihi continendi deinceps, et emendatius vivendi præstitisti virtutem, ne recidivum paterer, et esset novissimus error pejor priore. Postquam in his quinque miserationibus à malo liberaveris, in duabus aliis, bona largiris: hæ

duæ sunt, gratia promovendi, qua videlicet munus bonæ conversationis indulget: et spes obtinendi, qua donas homini indigno, et peccatori de tua tolies experta bonitate usque ad cælestia speranda præsumere. *Bern. in serm. 88.*

21. Magnæ misericordiæ sunt quatuor filiæ, scilicet amissio amaritudinis, subtractio opportunitatis, virtus resistendi, et sanitas affectionis. *Bern. in serm.*

22. \* Peccata aliqua minima sunt, alia magna, alia mediocria: et propterea triplici egent misericordia, parva, mediocri et magna. *Bern. de prin. me.*

23. A novissimis incepit, quia qui ante Christum fuerunt, quasi ex operibus justificati fuerunt: gentes autem ex misericordia, unde misericordia incipit à novissimis, justitia à maximis. *Chrys. super Matth. 20.*

24. Deus tristatur non de sua injuria, sed de nostra perditione. Sicut rex benignus audiens criminosas personas, lege quidem compellente ipse mortis sententiam dictat adversus eas: tamen misericordia instigante lachrymas fundit super ipsas, et vult eas adjuvare, et non potest, contradicente sibi justitia: quoniam misericordia tunc est vere misericordia, si sic facta sit, ut justitia per eam non contemnatur. Si autem contempta justitia, misericordia observetur, ipsa misericordia non est misericordia, sed fatuitas. Justitia enim sine misericordia non est justitia, set crudelitas, sicut et misericordia sine justitia, non est misericordia, sed fatuitas. *Chrys. super Matth.*

25. Misericordia est salutis præsidium, fidei ornamentum, propitiatio peccatorum: hæc est, quæ justos probat, sanctos roborat, Dei cultores ostendit. *Ibidem.*

26. Habens intellectum, curet omnino, ne laceat: habens rerum affluentiam, vigilet, ne à misericordiæ largitate torpescat: habens artem qua regitur, magnopere studeat, ut usum et utilitatem cum proximo partiatur: habens loquendi locum apud divitem, damnationem pro relento talento timeat, si non quotidie quum valet, apud divitem pro pauperibus intercedat. *Rav. super Matth. 25.*

27. Qui esurientem pane verbi reficit, et sitientem

potu sapientiæ refrigerat, qui errantem in domum patris revocat, qui innocentem protegit, qui infirmum fide asumit et confirmat qui tribulatione oppresso subvenit, compatiendo vel consolando, veram dilectionem adimplet. *Rav. Ibidem.*

28. Misericordia consistit in eleemosynis largiendis, in malis tolerandis, in convitiis remittendis, et imperitis corrigendis. *Ibidem.*

29. Misericordia virtus tanta est, ut sine illa, cætera et si sint, prodesse non possunt: Quamvis enim aliquis fidelis sit, et castus, et sobrius, et aliis majoribus ornatus insignibus, si misericors tamen non est, misericordiam non meretur. *Leo papa in ser. de apparit.*

30. In illo magno summoque judicio tanti æstimabitur vel largitatis benignitas, vel tenacitatis impietas, ut pro plenitudine omnium virtutum et pro summa omnium commisorum, et per unum malum illi in ignem mituntur æternum, et per unum bonum isti introducuntur in regnum. *Ibidem.*

31. Benigni quippe principis est, ad clementiæ commodum transilire terminos æquitatum, quando sola est misericordia, cui omnes virtutes honorabiliter cedere non recusant. *Cass. in epi.*

32. Egentibus justum est, non divitibus subveniri: fundit potius qui mittit in plenum: nam illud potius reconditur, quod vasis vacuis congregatur. *Ibidem.*

33. Si nullum penitus indigere contingeret, locum proinde largitas non haberet. Data est provinciis in regis nostri laude penuria: steriles facti sunt agri, ut ubertas Domini possit agnosci: minus esset acceptissimum donum nisi præcessisset incommodum. *Ibidem.*

34. Misericordia subsequitur ad custodiam, sed præcedit ad gratiam conferendam: nam si solum sequeretur, nemo donatum perciperet: si tantum præcederet, nullus poterit collata servare. Graviorum enim sunt insidiæ, quas à tergo diabolus parat: et nisi misericordia subsequatur, facillime fragilitas humana decipitur: tunc enim quando se quis vitium transisse credit, inevitata magis ignoratione decipitur. *Cass. super. Psalm.*

35. Misericors est quum credat, quia nulli, beneficiis provocatur, ut præstet: miserator est, quum res cadentes sua pietate constituit. *Cass. super ill. Psalm. Miserator etc.*

36. \* Differunt misericordia et miseratio, sicut fons et rivulus: misericordia enim quasi fons est affectu: miseratio quasi rivulus effectu. *Hugo.*

37. \* In regno cœli coram omnibus Angelis in conventu resurgentium, quod Abel passus sit, quod mundum conservavit Noë, quod Abraham fidem servavit, quod Moyses legem tulit, quod Petrus crucem Jesu primus ascendit, Deus tacet et clamat solum, quod pauper comedit dicens, esurivi, qui enim misericors est, misericordia dignus est. *Petr. Rav. in quodam serm. Esponem illud. Matth. Esurivi etc.*

38. *Ite, proferte stolam primam.* Non dixit unde venis? ubi fuisti? ubi sunt, quæ tulisti? quare tantam gloriam in tantam turpitudinem commutasti? sed *proferte stolam primam, et induite illum.* Videtis, quia delicta non videt vis amoris: tantam misericordiam pater nescit, delicta qui discolit, prodit. *Pet. Rav.*

39. Præcedentis misericordiæ beneficium perdidit, qui putat esurienti semel sufficere: quod donavit: ille autem ad Deum integros misericordiæ fructus præmittit, à quo pauper nunquam tristis abscedit. *Valerius in quodam sermone.*

40. Misericordia est vicina miseria: habet enim aliquit traitque ex ea: imbecilles oculos esse scias, qui ad aliam lippitudinem et ipsi suffunduntur. *Sen. lib. de clemen.*

41. Frustra rogatur, qui misereri non potest: gravis tamen pœna est, quem post facti pœnitet. Mali causa est, qui requirit misericordiam. *Senec. in Prov.*

42. \* Petant etiam innocentes misericordiæ auxilium. *Quint. lib. II.*

Vide etiam in tit. Adjutorium, núm. 3, 24. in tit. Apostoli, núm. 20. in tit. Avaritia, núm. 13. in tit. Bellum, núm. 23. in tit. Charitas, núm. 14. in tit. Christianus, núm. 1. in tit. Compassio et Conversio, núm. 3.

in tit. Correctio, núm. 13. in tit. Eleemosyna, núm. 15. in tit. Humilitas, núm. 20. in tit. Jejunium, núm. 19. 37. in tit. Paupertas, núm. 16, in tit. Venia, n. 2, 18.

### MODESTIA.

1. In omnibus moribus nostris nihil fiat, quod cujusque offendant aspectum, sed quod nostram deceat sanctitatem. *August. in regula.*

2. Sermones proferamus libra justitiæ examinatos, ut sit gravitas in sensu, in sermone pondus, atque in verbis modus: in temperantia cordis habeat animi munditiam, justitia misericordiam, prudentia pacem, fortitudo mansuetudinem. *Ambr. de offic. lib. 5.*

3. Est in ipso motu, gestu, incessu tenenda verecundia: habitus enim mentis, in corporis statu cognoscitur: hinc homo cordis nostri absconditur, aut levior, aut jactantior, aut torpidior, aut congruior, constantior, et purior, et maturior aestimatur. Itaque vox, quidam est animi corporis motus. *Ambr. de offic. lib. 1.*

4. Est gressus probabilis in quo sit species auctoritatis gravitatisque pondus, tranquillitatis vestigium, ita tamen ut studium desit atque affectio: sed motus sit tibi purus ac simplex. *Ibidem.*

5. Sicut molliculum et infractum aut vocis sonum aut gestum corporis non probo, ita neque agrestem, neque rusticum imitemur: effigies enim forma disciplinæ, forma honestatis est. *Ambr. ibi.*

6. Hoc est pulchritudinem vivendi tenere, convenientia cuique sexui et personæ reddere: hic ordo gestorum optimus, hic ornatus ad omnem actionem accommodus. *Ibidem.*

7. Motum natura informet, si quid sane in natura vitii est, industria emendet. *Ibidem.*

8. In te consistito, non infra dejice, non supra attolli, non evadere in longius, non extendi in latius. Tene medium, si non vis perdere modum, locus medius tutus est: medium, sedes modi, et modus virtus. *Bern. l. 3. de consid.*

9. Melior est gradus lentior per iter rectum, quam velocitas festina per devium. *Leo papa in ser. de Pentec.*

10. Risus, est vox confusa lætitiæ, insultationem immoderata hilaritate denuntians. *Cass. super Psalm.*

11. Lascivia est indecens motus dissoluti animi, et corporis ex intemperantia carnali prodiens. *Ibidem.*

12. Novum est sub amore principis custodire modestiam, quæ tam clara, quam rara est: quia gaudia semper animos inquietant, modus enim raro lætis rebus intervenit. *Cass. 4. lib. epist.*

13. Modestia est, cultum et motum et omnem nostram occupationem ultra defectum, et citra excessum sistere, de qua Horatius: Est modus in rebus, sunt certi denique fines. Quos ultra citraque nequit consistere rectum. *Hugo.*

14. Modestia, est pudici et honesti habitus cum laudabili profectu verecundia. *Tull. 2. Rhet.*

15. Modestia est servata propria virtute omnibus juste pieque moribus convenientium se contemperare. *Ibidem.*

16. Si disputarem nec manum jaclarem, nec vocem attollerem, sed ista Oratoribus reliquissem, contentus sensus meos ad te pertulisse, quos nec exornassem, nec abjecissem: non delecteat verba nostra, sed prosint. Sit talis sermo, ut res potius quam se ostendat. *Sen. 66 ep.*

Vide etiam in tit. Caro, núm. 6. in tit. Conversatio, núm. 9, 20, 21, 22, 28, 29, 36. in tit. Discretio, núm. 6, 7, 9. in tit. Gloria vana, núm. 7. in tit. Humilitas, núm. 10. in tit. Infirmetas, núm. 2. in tit. Lascivia, n.º 6, 8. in tit. Magnanimitas, núm. 6. in tit. Præsumptio, núm. 16. in tit. Prosperitas, núm. 19. in tit. Tristitia, núm. 7. in tit. Verecundia, núm. 1.

### MONACHUS.

1. Nimis dolendum est, si ad tam ruinosam superbiam monachos subrigimus, et tam gravi contumelia clericos dignos pulamus: ut scilicet dicatur, quod malus monachus bonus clericus est, cum aliquando

bonus etiam monachus vix bonum clericum faciat. *August. ad Aurelianum.*

2. O monache qui stas corpore, stat anima tua, et non psallis Deo! *maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter.* Si psalterium es, si cithara es, quare surdus es, et non glorificas Deum? *Hier. super Psalm.*

3. Sicut martyres laudant Deum pure in regione vivorum, ita et monachi, qui die ac nocte psallunt Deo, debent eandem puritatem habere martyrum, siquidem ipsi martyres sunt. Quod enim faciunt angeli in cælis, hoc monachi faciunt in terris. *Ibidem.*

4. Si cupis esse quod diceris, monachus, id est, solus, quid facis in urbibus, quæ utique non sunt solum habitacula, sed multorum. *Hier. in epist.*

5. Summæ stultitiæ est, renuntiare sæculo, dimittere patriam, urbes deserere, et monachum profiteri, et inter majores populos vivere peregre, quam erat victurus in patria. *Ibidem.*

6. Quid tibi ea videre necesse est, quorum contemptu monachus esse cœpisti? quem senseris tibi, aut semper aut crebro de minimis loquentem, excepta elemosyna, quæ differenter omnibus patet: institutorem polius habeto, quam monachum. Prima virtus monachi est, contemnere hominum judicia, et semper Apostoli recordari dicentis. *Si hominibus placerem, Christi servus non essem.* *Hier. in epistol. ad Pammach.*

7. Tu si monachus esse vis, non videri habeto curam, non rei familiaris, cui renuntiando hoc esse cœpisti, sed animæ tuæ. Monachum non loquendo et discurrendo, sed tacendo et sedendo quisque noverit: monachus non doctoris, sed plangentis habet officium: qui vel se vel mundum lugeat, et Domini pavidus præstoletur adventum. Flos quidem et pretiosus lapis inter ecclesiastica ornamenta, monachorum et virginum chorus est. *Hieron. ad Rustic.*

8. Constat monachum in sua patria perfectum esse non posse. *Hieron. ad Heliod.*

9. Quid facit monachus in cellis feminarum quid tibi volunt privata et sola colloquia et arbitros fugien-

les oculi? Sanctus amor impatientiam non habet. *Ibid.*

10. Quanti monachi, dum patri matrique miserentur, suas animas perdiderunt? *Hieron. in epist.*

11. Laudatur jure monachus, qui venerationi habet sacerdotes, et non detrahit gradui, per quem factus est Christianus. *Hieron. ad Paulin.*

12. Ægyptiorum monasteria hunc morem tenent, ut nullum absque opere laborem suscipiant, non tam propter victus necessaria, quam propter animæ salutem, ne vagetur pernitiosis cogitationibus. *Hieron. in epist. ad rust. mo.*

13. Magna abusio et maxima cura est, ut corpus regulariter induatur: et contra regulam suis vestibus anima nuda deseratur, cum tanto studio tunica et cuculla corpori procurentur quatenus cui deerunt, monachus non putetur: cur similiter pietas et humilitas spiritui, quæ profecto spiritualia indumenta sunt, non providentur? *Bern. in apolog.*

14. Habitus noster, quod et dolens dico, qui humilitatis solet esse insigne, à monachis nostri temporis gestatur superbe. Vix jam in nostris provinciis invenimus, quo vestiri dignemur. Miles et monachus ex eodem panno partiuntur sibi cucullam et chlamydem. *Ibidem.*

15. Labor et latebræ et voluntaria paupertas hæc sunt monachorum insignia: hæc vitam solent nobilitare monasticam: nostri autem oculi omne sublime vident, nostri pedes omnem forum circumeunt, nostræ linguæ in omnibus audiatur consiliis, nostræ manus omne diripiunt patrimonium. *Bernard. in quad. epist.*

16. Certus sum ego monachus et monachorum qualiscumque abbas, si mei quandoque pontificis à propriis cervicibus excutere jugum tentavero, quod Satanae mox tyrannidi me subjicio. *Bern. in epist.*

17. Super fratrum transgressiones, non super patrum traditiones constituitur, qui abbas eligitur, mandalorum cultor, et vitiorum ultor. *Bern. de preceptis et dispensati.*

18. Monachus singularis est, qui ad bona propria

est strenuus, ad bona communia piget: in lecto vigilat, et choro dormit. *Bern. in epistol.*

19. Legumina, inquit, ventosa sunt, caseus stomachum gravat: lac capiti nocet, potum aquæ non sustinet peclus: caules nutriunt melancholiam: choleram porri accendunt: pisces de stagno aut de luto-a aqua meæ penitus complexionis non congruunt: quale est hoc, ut in omnibus fluviis, agris, hortis, cellariis reperiri vix possit quod comedas? Puta te quæso monachum esse, non medicum: nec de complexionis judicandum, sed de professione. Parce, obsecro, primum quieti tuæ: parce deinde labori ministrantium, parce gravamini domus, parce conscientia, conscientia non dico tuæ, sed alterius scilicet qui prope te sedens et edens de tua singularitate murmurat, et de tua substitutione scandalizatur. *Bern. super Cant. serm. 50.*

20. Qui monachum profiteris, qui crucifixus es, qui debes lugere, rides. Dic mihi ubi Christus hoc fecit? audisti hoc alicubi? nunquam: sed contristatum sæpius legisti. *Chrys. super epistol. ad Hebr.*

21. Summa monachi virtus, humilitas, summum vitium ejus, superbia est. *Isidor. de sum. bon. lib. 4.*

22. Tunc autem se monachum quisque judicet, quando se minimum, aslimaverit, etiam cum majora virtutum opera gesserit. *Ibidem.*

23. Multi monachorum amore parentum non solum terrenis curis, sed etiam forensibus jurgiis involuti sunt, et pro suorum temporali salute, suas animas perdiderunt. *Ibidem.*

24. Monachum cupientem ad scripturarum notitiam pertingere, nequaquam debet labores suos erga commentariorum libros impendere, sed omnem industriam mentis et intentionem cordis erga emendationem vitiorum carnalium detinere, quibus expulsis, cordis oculo, sublato velamine passionum, scripturarum sacramenta contemplerur. *Joan. Cass. in col. pa.*

25. Ita, inquit Macharius, debere monachum jejuniis operam dare, ut centum annis in corpore commoraturum: ita motus animi refrenare, et injuriarum obli-

visei, justitiasque respuere, dolores quoque ac detrimenta contemnere, tanquam quotidie moriturum. *Joan. Cass. lib. 5.*

26. Hæc apud Ægyptum est ab antiquis patribus sancita sententia: operantem monachum dæmone uno pulsari: otiosum vero innumeris spiritibus devastari. *Ib.*

27. Monachi sibi claustra faciunt, quibus homo exterior teneri possit, sed utinam claustra facerent, quibus homo interior ordinate teneretur. *Hugo de claustr. anim. lib. 1.*

28. In choro sum corpore, et aliquo negotio mente, nunc intus maneo, nunc foris exeo: aliud canto, et aliud cogito: psalmodiæ verba profero, et psalmodiæ sensum non attendo: sed mente vagus, habitu dissolutus, oculis attonitus, huc et illuc prospiciens, quæcumque ibi geruntur, perlustro et perspicio: habitum monachi, non conversationem habens, in magna corona et ampla cuculla salva mihi omnia existimo. *Hugo lib. 1 de anim.*

29. Ordo claustrum et ordo curiæ divisus est. Ibi sedes in insidiis, cum divitibus in oculis, ut interficias innocentem: hic audis: non sedi cum consilio vanitatis, et cum iniqua gerentibus non introibo. Ibi insidiaris, ut rapias pauperem: rapere pauperem, dum attrahis eum: hic dicis: Odio ecclesiam malignantium, et cum impiis non sedebam. Ibi dextera tua repleta est muneribus: hic lavas inter innocentes manus tuas. Ibi laudatur peccator in desiderio animæ suæ, et iniquus benedicitur: hic benedicitur Deus. Si vis esse monachus curialis, laudas quod non debes, defendis quod non expedit, operaris quod non licet, loqueris quod non decet. *Hugo de 12 abutitionib.*

30. Si monachus es, quid facis in turba? Si amas silentium, cur declamantibus assidue interesse delectaris? Tu semper jejuniis et fletibus insistere debes, et tu philosophari quæris? Simplicitas monachi philosophia ejus est. Sed docere, inquis, alios volo: non est tuum docere, sed plangere. Si tamen doctor esse desideras, audi quid facies: vilitas habitus, tui et simplicitas vultus, innocentia vitæ, et sanctitas conversa-

tionis tuæ docere habent homines. *Hugo de claustr. anim. lib. 2.*

31. Solitaria sane vita, cœlestis doctrinæ schola est, ac divinarum artium disciplina. *Pet. Rav.*

Vide etiam in tit. Acedia, núm. 2. in tit. Honor, n.º 4. in tit. Ornatus, núm. 16. in tit. Religio, et Sacerdos, n.º 1. 5.

### MORS.

1. Omnis gloria Dei et omnis salus hominum, in Christi morte constituta sunt. *Joan. Chry. et Aug.*

2. Mortis diem omnes affuturum sciunt: eum tamen omnes, aut pene omnes differre conantur, etiam qui post mortem se beatius credunt esse victuros: tantam habet vim carnis et animæ dulce consortium. *Aug. de grat. novi test.*

3. Mala mors putanda non est, quam bona vita præcessit: neque enim facit malam mortem, nisi quod sequitur ipsam mortem. *Aug. st. de civ. Dei. lib. 1.*

4. Prima mors animam pellit volentem á corpore, secunda mors animam nolentem tenet in corpore. *Ibidem.*

5. Ita diviti fuit cura pro vivis, quamvis quid agerent, omnino nesciret, quemadmodum nobis cura est pro mortuis, quamvis quid agant utique nesciamus. *August. de cura pro mort.*

6. Fateandum est nescire mortuos quid hic agatur, scilicet dum hic agitur: possunt vero audire ab eis, qui hinc ad eos moriendo pergunt, non quidem omnia, sed quæ sinuntur judicare, quæ sinuntur etiam ista meminisse quæ illos quibus ista indicant, oportet audire. Possunt et ab Angelis, qui rebus, quæ hic aguntur, præsto sunt, audire aliquid mortui: quod unumquodque illorum audire debemus, indicat, cui cuncta subjecta sunt. *Ibidem.*

7. Vocatur ante tempus boni, ne diutius vexentur á noxiis: mali vero et impii tolluntur, ne diutius bonos persequantur. *Aug. li. de vita Christian.*

8. Nescis qua hora veniat; semper vigila, ut quod